

The Electronic Manipulus florum  
www.manipulusflorum.com

Paciencia f  
cum fonte primo

Nullus perfectus est qui inter mala proximorum paciens non est. Qui enim equanimiter aliena mala non tollerat, ipse sibi per impacienciam testis est, quia ab omni plenitudine longe distat. Abel quippe renuit esse, quem Caym malicia non exercet. Sicut in tritura palee grana premuntur, sic flores inter spinas prodeunt et rosa quae redolet crescit cum spina quae pungit.

Gregorius libro XX. moralium super illud: Frater fui draconum.

Nullus quippe perfectus est, qui inter proximorum mala patiens non est. Qui enim aequanimiter aliena mala non tolerat, ipse sibi per impatientiam testis est quia a boni plenitudine longe distat. Abel quippe esse renuit, quem Cain malitia non exercet. Sic in tritura areae grana sub paleis premuntur, sic flores inter spinas prodeunt, et rosa quae redolet crescit cum spina quae pungit.

Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 20, 39 (CCSL 143A, M. Adriaen ed., pp.1058-9, ll.16-22).